MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-9

AUTHOR:

HITZE, EMIL

TITLE:

DE SEXTO POMPEIO

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1883

Master Negative #

93-81265-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hitze, Emil, 1856-
De Sexto Pompeio; dissertatio inauguralis historica quam scripsit... Aemilius Hitze... Vratislaviae, Apud Guilelmum Koebner, 1883.
34 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1883.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 04/07/93 INITIALS [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
SEXTO POMPEIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VI. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCLXXXIII.
HORA XII.
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS HITZE.

ADVERSARII ERUNT:
JOHANNES EICHMANN, DR. PHIL.
GEORGIUS SIEBER, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
MDCCCLXXXIII.

IOSEPHO PARTSCH

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM

PROOEMIUM.

Sexti Pompei Cn. Magni filii de moribus et rebus gestis quamquam egregia eruditione summoque ingenii acumine viri doctissimi egerunt[1]), haud tamen omnes de vita eius quaestiones ita diremptas exhaustasque esse, ut disputationi subtiliori locus nullus relictus sit, vix quisquam mirabitur. Operae igitur non mihi defuturum pretium spero, si res quasdam ad Sexti historiam pertinentes parum recte adhuc perspectas melius paullo illustrare mihi contigerit. Fuit quidem Sextus homo mediocris neque aut patrem aut fratrem natu maiorem honore aequavit, sed idem loco nobilissimo ortus et nomine clarissimus vitae exitu valde animos nostros movet. Audi, quid Seneca de eo dicat: „Quid Pompeios? Quibus ne hoc quidem saeviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruina. Vixit Sextus Pompeius primum sorori superstes, cuius morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula resoluta sunt. Idemque hic vixit superstes optimo fratri, quem fortuna in hoc erexerat, ne minus alte eum deiceret, quam patrem deiecerat, et post hunc tamen casum Sextus Pompeius non tantum dolori, sed etiam bello suffecit.“ [2])

Dissertationis huius partes erunt quattuor; primum enim de Sexti anno natali agere mihi in animo est, deinde de anno, quo mater eius Pompeio Magno nupserit, sequentur tertio capite quaedam de bello Siciliensi, quarto denique de ingenio moribusque Sexti Pompei quomodo iudicandum sit, perpendemus.

[1]) Drumann, Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung. tom. IV, p. 560—591. Königsberg 1838.

Dornseiffen, de Sexto Pompeio, Cn. Magni filio. Dissert. Traiecti ad Rhenum 1846.

Risse, de gestis Sexti Pompei. Dissert. Monasterii Guestfalorum. 1882.

[2]) Seneca ad Polybium de cons. XV (34).

I.

DE SEXTI POMPEI ANNO NATALI.

Quadragesimum annum egisse Sextum Pompeium, cum anno a. Chr. XXXV interficeretur, Appianus perhibet. Quo testimonio fisi viri docti, qui Sexti vitam tractarunt, natum illum esse anno a. Chr. LXXV ad unum omnes statuerunt.[3] Nec vero, quamquam alius veterum locus exstat nullus, quo ad certos annorum numeros Sexti aetatis computatio referatur, tam certo iudicio in Appiani verbis acquieverim. Sunt enim, ni fallor, quae testimonii illius vim et auctoritatem haud leviter infringant totamque de aetate Sexti quaestionem denuo prorsus instituere nos adigant. Quod quidem officium eo minus detrectaverim, quo maioris momenti tota haec quaestio mihi esse videtur ad eas res recte aestimandas, quas miserrimus ille homo extremis et difficillimis rei publicae Romanae temporibus gessit, si quidem aliter de adulescente, aliter de viro iudicari debet. Illud igitur, si mihi contigerit, ut demonstrem, Sextum Pompeium, cum interficeretur, minus provectum aetate fuisse quam vulgo credunt, commodi aliquid, non dubito, quin inde captura sit fama eius ac memoria. Elucebit, opinor, Sextum licet non singulari magnitudine animi inter aequales enituerit, tamen parem certe locum inter homines suae sortis suique generis obtinuisse. Quae cum ita sint, haud inutile videtur esse, de anno, quo natus Sextus Pompeius sit, diligentius, quam adhuc factum videmus, inquirere.

Postquam per autumnum anni XXXVI in insula Lesbo[4] sedens eventum belli ab Antonio contra Parthos gesti oppertus

[3] Nec non Merivale, Geschichte der Roemer, Leipzig 1868 II p. 190 testimonio illo Appiani acquiescit.

[4] Sextus clade ad Naulochum, locum inter Mylas et Pelorum, a. d. III Non. Sept. a. XXXVI accepta Corcyram, hinc Cephalleniam, deinde Lesbum se convertit.

est, hieme insequenti, cum victum Antonium esse comperisset, in Asia sibi imperium parare statuit. Reges Thraciae, Ponti, Parthiae societate et foedere sibi adiungere studebat, simul autem legatos ad Antonium Alexandream misit, ut specie amicitiae faciendae ac societatis, quid re vera moliretur, celaret. Interea cum Asiam ingressus esset, non solum Lampsacum, Nicaeam, Nicomediam cepit, sed etiam acie contra Antonii legatos satis prospero eventu conflixit. Hieme, dum haec geruntur, praeterlapsa, subsequentis anni vere ineunte (ἦρος ἀρχομένου)[5] Furnio, Antonii legato, qui Pompeio obstiterat et castra prope eum habebat, subsidia belli venerunt, et M. Titius, Furnii collega, toti bello praefectus cunctas vires ad Proconnesum, insulam in Propontide sitam, in unum contraxit. Tanti exercitus vim cum Pompeius sustinere non posset, extremum orientem petiturus Nicomediam recessit. Adversarius autem lateri eius adhaerens tanta celeritate subsecutus est, ut Sextus pacis condiciones postularet. Sed cum M. Titius non prius de pace agi posse respondisset, quam ille omnes copias ac naves sibi tradidisset, Pompeius tam duras condiciones aspernatus navibus combustis[6] pedestrem exercitum in interiorem Asiam deducere coepit. Fatigatus ab hoste, qui eius vestigiis instabat, quamquam non ea qua cupiebat celeritate progredi poterat, tamen, si non in Galatiam ipsam, certe iam ad terminos eius provinciae pervenerat, cum omnem spem salutis in summa audacia sitam esse ratus retro ad oram iter flexit hostium naves incensurus. Nam in Phrygiae oppido Midaio[7] Antonii legati per transfugam[8] de discessu eius certiores facti sunt confestimque insecuti eum deprehenderunt circumdatumque ceperunt vivum. Cum Midaium a Nicomedia non minus passuum milia centum quinquaginta abesset[9], Sextusque

[5] App. b. c. V 139.

[6] Sextum naves incendisse, cum Titius vires ad Proconnesum contraxisset (App. V 139), minus probabile est; nam tantum abest, ut Sextus iam tum de omnibus suis rebus desperaverit, ut, nisi alia spes salutis sibi relicta esset, Antonium libenti animo sibi ut socio receptum daturum esse putare potuerit; quo autem maiores opes erant, eo auxilium esse exoptatius videbatur. Quae spes ei tum demum erepta est, cum Titius dixit, se non de pace acturum esse nisi sub gravi illa condicione. cf. Dio XLIX 18.

[7] Dio l. c. cf. Taciti ann. I, 2 an. 6 ed. Bekker. Dornseif. p. 133 an. 2.

[8] M. Aemilius Scaurus, eius frater eadem (Mucia) matre natus.

[9] Midaium paribus ferme spatiis distat a Nicomedia atque Iuliopolis a Nicaea; Iuliopolis recta via a Nicaea abest CXXVII m. p. m. cf. Itin. Anton. ed. Parthey p. 65 sq.

vel longius orientem versus progressus esset, totum bellum colloquiis non semel intermissum a principio veris, ne plura dicam, viginti minimum dierum fuisse, quivis intelleget. Manifestum autem est, a die, quo captus est, usque ad supplicium vel plus temporis praeteriisse, quoniam Titius captivum Miletum transtulit ibique litteris ad Antonium Alexandream missis exspectavit, donec nuntius ex Aegypto afferretur, quid Antonius de Sexto fieri iuberet. Sextum igitur necatum esse sub finem veris anni a. Chr. XXXV, Maio forsitan mense, suspicari licet. Quod si quadragesimum tunc annum egit, natum eum esse non ante mensem Maium anni a. Chr. LXXV credamus oportet.

Quae si recte sunt disputata, patrem Sexti necesse est usque in mensem Sextilem anni a. Chr. LXXVI in Italia adfuisse, quo tempore eum iam in Hispania bellum contra Sertorium gessisse inter omnes constat.

Quamquam enim obscura admodum est cum tota temporum illorum memoria, tum maxime parum accurate definitum tempus, quo Pompeius Magnus in Hispaniam profectus sit, tamen hoc sine ulla dubitatione adfirmaverim, non post anni a. Chr. LXXVI veris exitum signa eum movisse. Nam differre profectionem Pompei nihil potuit interesse, quippe qui summa ope enixus esset, ut illi bello praeponeretur.[10]) Neque enim M. Aemilio Lepido victo Pompeius milites suos exauctoraverat, sed alias ex aliis obtendens causas circa urbem armatus usque eo moratus erat, donec L. Philippo rogante imperium sibi contra Sertorium esset decretum anno a. Chr. LXXVII.[11]) Quamquam eo ipso anno, quominus Italia excederet, dilectu habendo et hiberno tempore impediri potuit, tamen nequaquam credere licet, moram profectioni usque in aestatem anni insequentis mansisse. Nam si eo demum tempore Roma proficiscentem Pompeium feceris, rerum gestarum seriem ordinemque prorsus perturbabis. Quis enim sibi persuadebit, tam exiguo tempore iter hostium incursionibus non semel retardatum per utramque Galliam, per Alpium tramites tunc primum inventos, per Pyrenaeos montes, per Hispaniae partem septentrionalem usque ad Lauronem oppidum ante hiemem confici potuisse?[12]) Attamen hoc satis constat, Pompeium cum Sertorio congressum iam hieme ineunte ab armis recessisse.[13]) Quae cum ita sint, Sextus nec mense Maio anni a. Chr. LXXV nec posteriore ullo eiusdem anni mense natus esse potest. Iam igitur annorum, quos Sextus vixit, numerum apud Appianum non recte memoriae traditum esse elucet. Quod utrum scriptori, an fontibus eius, an libris manu scriptis, qui aetatem tulerunt, vitio demus, vix quisquam pro certo diiudicabit.

[10]) Plut. Pomp. 17.

[11]) Drum. IV, p. 361.

[12]) Nam brevissima via a Roma per Tusciam et Alpes maritimas Arelatum usque est via Aurelia m. p. m. DCCXCVI, ab Arelato per Tarraconem ad Lauronem m. p. m. DXXX, ergo, si summam facimus m. p. m. MCCCXXVI cf. Itin. Ant. p. 139 et 189 sqq. Pompeius autem non hac via usus est, sed per Alpes Cottias viam aperuit. C. I. L. V. 2, p. 809. In Alpibus et in Gallia cum a gentibus infestis vexatus non citato gradu ire posset, non dubium est, quin quattuor vel plures menses in itinere consumpserit. Quo accedit, ut de Laurone aliquamdiu certamen ei cum Sertorio fuerit. Inde sequitur, Pompeium non post anni a. Chr. LXXVI veris initium profectum esse.

At erunt forsitan, qui dicant, scriptori omnino non in animo fuisse tam accurate, ut ne mensis quidem spatio a vero aberraret, Sexti aetatem indicare, numerum illum quadraginta annorum satis bene convenire, etiamsi Sextus hanc aetatem iam paullum egressus esset. Cui sententiae non Appiani tantum verba „τεσσαρακοστὸν ἔτος βιοῦντα“ „quadragesimum annum degens mortem obiit“ adversantur, sed gravius multo res memoriae haud dubie traditae. Ponamus, Sextum mense Ianuario anni a. Chr. LXXV, Gnaeum fratrem natu maiorem primis mensibus superioris anni natum esse. Quae si statuerimus, vereor, ne in alias difficultates vix minores incidamus. Consequitur enim inde, e Cn. Pompei Magni filiis tum, cum bellum civile exardesceret, anno a. Chr. XLIX ineunte, Sextum iam vicesimum septimum aetatis annum ingressum esse, alterum certe eundem hunc annum iam peractum habuisse. Eo vero aetatis tunc iam provectos fuisse Pompei filios veri mihi minime simile videtur.

Sane Pompeium Magnum, qui muneribus omnibus ante aetatem functus erat, ne maiori quidem natu filio Gnaeo idem impetrare conatum esse, quamvis annum iam eum egressus esset, qui certe ante Cornelii Sullae legem annalem quaesturam petentibus suffecerat, mirabimur magis quam negabimus.

Sed in ipsis rebus, quas de Pompei filiis belli civilis scriptores narrant, multa insunt, quae minime viros iam adultos, sed adulescentes decent. Qua de re ne dubitatio ulla cuiquam supersit,

[13]) App. I, c. 109.

iam testimonia, quae passim apud veteres de Pompei filiorum aetate inveniuntur, collegisse iuvabit. Mirum sane est, quam saepe aetas eorum iuvenilis aut ab adversariis derideatur, aut ab amicis excusetur, aut a rerum scriptoribus simpliciter memoretur. Gnaeus sane bello exorto summo ardore et studio patrem in rebus gerendis adiuvit strenueque omnia egit, quae ei commissa erant; sed ubique in inferiore quodam ordine collocatus et rebus bellicis et consiliis a Pompeianis habitis interfuit. Quis non reminiscatur, Gnaeum, cum pugna apud Pharsalum commissa duces in Corcyram insulam convenissent, suasisse, ut in bello perseveraretur, quia trecentae triremes superessent, nec tamen pervicisse? Tum Cicero, cui imperium delatum erat, sententiam adulescentis repudians bellum dissuasit. Quem Gnaeus proditorem esse vociferans praecipiti ira correptus stricto gladio adortus est, neque dubitare possumus, quin eum adulescens interfecturus fuerit, nisi Cato caeco illius furori obstitisset lenibusque illum verbis, tamquam pater filium, mitigasset.[14])

Simili ardori animi Gnaeus se dedit, cum interemptum patrem esse comperisset. Tum nihil aliud cogitavit nisi ultionem et duces precibus fatigavit, ut in Aegyptum properaretur gravissimumque supplicium de sceleris nefandi auctoribus sumeretur. Iterum nimium adulescentis dolorem iracundiamque Cato compescuit.[15])

Quid? Cum Pompeio Magno occiso ad Ciceronem, Catonem, Afranium, Petreium, alios summa rerum redisset, iussa eorum adeo non detrectavit, ut ne tum quidem oboedire illis recusaret, cum in Hispaniam praemitteretur, priusquam in Africa in discrimen ventum esset.[16]) In Hispania bello renovato primum quidem Gnaeus in animo habuit, Caesari obviam ire ac quam primum fieri posset proelio cum eo decertare: mox sodalium quorundam aetate grandiorum consiliis paruit, qui docti cladibus ad Pharsalum et Thapsum acceptis suaserant, ut cunctando potius rem

[14]) Plut. Cic. 39. Cato 55.

[15]) Luc. Phars IX, v. 145 – 166.

[16]) Gnaeus non iam anno a. Chr. XLVII in Hispaniam profectus est, ut Drumann (IV, p. 559) putat, sed initio anni subsequentis. Nam teste belli Africani scriptore c. 22 Cato eum incitat, ut ex Africa discedat, postquam Caesar pridie Non. Ian. anni XLVI cum T. Labieno pugnavit. cf. c. 19.

gereret trahendoque bello adversarii opes minueret.[17]) Vides igitur, nusquam in Gnaei animo moribusque non deprehendi iuvenilis cuiusdam ardoris vestigia, nulla in re ita eum sese gerere, ut non patrocinio quodam ac paene tutela aliorum hominum et indigeat et utatur.

Vertamus iam ad ea veterum testimonia, quibus aetas iuvenilis utriusque fratris premitur. Plutarchus scribit, Caesarem, cum in proelio Mundensi suos gradum sensim referre et aegre resistere videret, ad milites conversum exclamasse, puderetne eos ipsum tradere pupulis.[18]) Dici talia potuisse de viris trigesimum iam annum egressis vix credideris. Similiter Appianus refert, Sextum post pugnam Mundensem a Caesare contemptum esse, quippe qui propter adulescentiam et imperitiam nihil magni gesturus esset.[19])

Cum anno XXXV Sexti nuntii ad Parthos missi ab Antonii legatis deprehensi essent, legati apud Antonium eo ipso tempore morati eum excusaverunt: „*νέον ἄνδρα ἐν συμφοραῖς ἐσχάταις.*" (App. V. 136). Iuventutem viro quadraginta annorum excusationi esse quis non miretur? Appianum ipsum Sexti miseret, quod et pater et frater maturius ei decesserint: a patre enim puerulum, a fratre adolescentulum illum esse relictum.[20]) Plurimis denique locis, quorum nonnullos subnotavi, adulescentia Pompei filiorum simpliciter commemoratur.[21])

Tamen nescio an locis illis omnibus perlustratis multi nihilo secius Appiani illi loco fidem servaturi essent, nisi uno testimonio

[17]) App. II 103.

[18]) Plut. Caes. 56: *εἰ μηδὲν αἰδοῦνται λαβόντας αὐτὸν ἐγχειρίσαι τοῖς παιδαρίοις* . . .

[19]) App. IV. 83: (*Σέξτος*) *ὑπερώφθη μὲν τὰ πρῶτα ὑπὸ Γαίου Καίσαρος περὶ Ἰβηρίαν ὡς οὐδὲν μέγα διὰ νεότητα καὶ ἀπειρίαν ἐργασόμενος.*

[20]) App. V, 143: *Οὕτω μὲν ἑάλω Πομπήιος Σέξτος, ὁ λοιπὸς ἔτι παῖς Πομπηίου Μάγνου, νεώτερος μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀπολειφθείς, ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ μειράκιον ἤδη* . . .

[21]) Plut. Caes. 56: *Συντελεσθέντων δὲ τούτων ὕπατος ἀποδειχθεὶς τὸ τέταρτον εἰς Ἰβηρίαν ἐστράτευσεν* (*Καῖσαρ*) *ἐπὶ τοὺς Πομπηίου παῖδας, νέους μὲν ὄντας ἔτι* . . . App. V, 133: (*Πομπήιος*) *ἐς δὲ Μιτυλήνην καταχθεὶς διέτριβεν, ἔνθα αὐτὸν* (*Σέξτον*) *ἔτι παῖδα μετὰ τῆς μητρὸς ὑπεξέθετο ὁ πατὴρ Γαΐῳ Καίσαρι πολεμῶν καὶ ἡττηθεὶς ἀνέλαβεν.* bell. Afric. scriptor c. 23: . . . . (Gnaeus) adulescentulus profectus ab Utica est in Mauretaniam. Videas quoque bell. Hisp. auct. c. 1, 3, 40, 42. Vell. Pat. II 55, 2 et II 73. Eutrop. VI. 24. Val. Max. IX. 15, 2. Iul. Obseq. c. 126. Cic. orat. Phil. XIII 4 et 5.

parum adhuc intellecto quaestio tota egregie dirimeretur. Habemus enim apud scriptorem belli Africani, qui aequalis Pompeiorum rerumque narratarum ipse testis fuit, orationem quandam, qua Cato Gnaeum Pompeium, Magni filium, patris exemplo celeberrimo memorato ad maius intentiusque studium bellicum incitasse fertur. „Tuus", inquit, „pater istuc aetatis cum esset et animadvertisset, rem publicam ab audacibus sceleratisque civibus oppressam, bonos aut interfectos aut exsilio multatos patria civitateque carere, gloria et animi magnitudine elatus, privatus atque adulescentulus, paterni exercitus reliquiis collectis, paene oppressam funditus et deletam Italiam urbemque Romanam in libertatem vindicavit: idemque Siciliam, Africam, Numidiam, Mauretaniam mirabili celeritate armis recepit. Quibus ex rebus sibi eam dignitatem, quae est per gentes clarissima notissimaque, conciliavit; adulescentulusque atque eques Romanus triumphavit. Atque ille non ita amplis rebus patris gestis, neque tam excellenti maiorum dignitate parta, neque tantis clientelis nominisque claritate praeditus, in rem publicam est ingressus: tu contra, et patris nobilitate et dignitate, et per te ipse satis animi magnitudine diligentiaque praeditus, nonne eniteris et proficisceris ad paternas clientelas, auxilium tibi reique publicae atque optimo cuique efflagitatum?" [22]) Iam igitur Pompeius adulescentulus paterni exercitus reliquias in Piceno collegit a. LXXXIII natus tum viginti tres annos. Verba autem haec „tuus pater istuc aetatis cum esset" quid valent nisi idem ac: „Tuus pater cum hac ipsa aetate esset, qua tu nunc es". Gnaeus ergo eo tempore, quo haec oratio habita est, ineunte anno XLVI, viginti trium annorum adulescens fuit, natus est exitu a. LXX vel initio a. LXIX.

Iam Sextum quoque fratrem natu minorem post bellum Sertorianum natum esse apparet, neque difficile est statuere, quo ille anno genitus sit. Ex diversis enim partibus, quas uterque frater egit in bello civili, efficitur, longius quam unius anni intervallum inter dies eorum natales interfuisse. Sextum dimiserat pater initio belli cum matre Cornelia in insulam Lesbum [23]), ut tutus cum matre infans esset ab omnibus periculis iniuriisque. Mox apud Pharsalum superatus Pompeius Magnus, cum Lesbum

[22]) Bell. Afr. script. c. 22.
[23]) Plut. Pomp. 66. App. b. c. V c. 133. Luc. V v. 724.

revertisset, filium matremque in navem impositos [24]) in Aegyptum secum duxerat. Cum trucidari Pompeium vidissent, ancoris sublatis quam celerrime ad Cyprum fugerunt, ne ab Aegyptiis instantibus caperentur. Unde Cornelia Romam rediit, Sextus ad Gnaeum fratrem se contulit in Africam, quo Pompeianae copiae erant contractae. [25]) Latet illic aliquamdiu velut obscuritate tectus nec prius in scaenam, ut ita dicam, prodit, quam commissa apud Thapsum est pugna. Cui desidiae absurdum videtur credere Pompei Magni filium dediturum se fuisse, si iam illo tempore aetas eius et animus satis confirmata perductaque ad maturitatem fuissent. Cum Gnaeus ab Africa proficiscens in Hispaniam in insula Ebuso (Iviça) morbo aliquamdiu retineretur, peropportuna ex improviso facultas Sexto data est, ut fratris aegrotantis vice fungeretur experireturque, quid suis viribus polleret. Qua occasione nemo scriptorum memorat aut usum Sextum esse aut uti voluisse. Dum Gnaeus mirando animi vigore bellum in Hispania gerit, dum cum ipso Caesare signa confert, dum de summa rerum atrocissimo proelio decernitur, quidnam agit Sextus? Cordubae sedet praefectus praesidii, quod munus ex causariis senioribusque lecto, non adulescenti valido dari solet. Cum Caesar ad Cordubam contenderet, terrore perculsus Sextus fratri litteras misit, ut subsidio sibi venire properaret, ne prius Cordubam Caesar caperet, quam ipse illo venisset. [26]) Timore suo fratrem coëgit obsidionem Uliae oppidi relinquere. Atque ne Mundensi quidem pugnae interfuit, qua aut victuram esse alteram partem aut fractum iri luce clarius fuit; in oppido se continuit et certior de eius proelii exitu factus salutem fuga quaesivit. [27]) Duobus demum annis post e tenebris in lucem prodit. Observans igitur, Sextum illo tempore nihil memorabile gessisse, immo in tenebris quodam modo iacuisse, facili id opera intelleges, differentiam aetatis inter Pompei filios duorum certe vel trium fuisse annorum.

Cum Pompeius Magnus ab a. LXX a. Chr. ad a. LXVII Romae maneret, ineunte autem vere [28]) huius anni bellum

[24]) Plut. Pomp. 74. App. l. c. Dio XLII 2. Luc. VIII v. 40 et 579 sqq.
[25]) Dio XLII 5.
[26]) Bell. Hisp. auct. c. 4. Dio XLIII c. 32.
[27]) Liv. periochae 115. bell. Hisp. auct. c. 32. Dio XLIII c. 39.
[28]) Cic. Manil. XII.

piraticum susciperet et hoc bello confecto e Cilicia continuo contra Mithridatem proficisceretur et mense Ianuario demum a. LXI Romam rediret[29]) divortio cum Mucia uxore facto, Sextus post annum LXVII natus esse non potest. Sextus igitur in vitam venisse videtur exitu anni LXVII.

[29]) Pompeium praedonibus occidentali mari interno quadragesimo die expulsis Romam parumper se contulisse nullius fere momenti ad hanc quaestionem est, quoniam ille in urbem venisse sub finem Aprilis mensis existimandus est.

II.

QUO TEMPORE POMPEIUS MAGNUS MUCIAM IN MATRIMONIUM DUXERIT.

Tempore, quo Gnaeus et Sextus Pompei Magni filii nati sunt, rectius definito viam munivimus ad aliam quaestionem chronologicam, quae cum hac modo absoluta artissime cohaeret, retractandam. Parum enim accurate adhuc exploratum est, quo anno Sexti mater Pompeio Magno nupserit. Drumann IV p. 557 et Dornseiffen p. 31 nuptias non multo post Aemiliae secundae uxoris mortem, paulo post annum LXXXII factas esse putant, quod ex tribus liberis, quos Mucia ex Pompeio peperit, Sextus minor natu filius iam a. LXXV natus sit, quae tamen causa quaestione de annis, quibus Gnaeus et Sextus geniti sint, iam prorsus refutata videtur. Certo autem scriptorum testimonio nihil constat nisi id quod e verbis colligi potest, quae Plutarchus Pompeium dicentem facit, cum belli Mithridatici imperium ei delatum esset: „*Φεῦ τῶν ἀνηνύτων ἄθλων, ὡς ἄρα κρεῖττον ἦν ἕνα τῶν ἀδόξων γενέσθαι, εἰ μηδέποτε παύσομαι στρατευόμενος μηδὲ τὸν φθόνον τοῦτον ἐκδὺς ἐν ἀγρῷ διαιτήσομαι μετὰ τῆς γυναικός*“.[30])

Patet igitur, tunc temporis Muciam Pompei iam uxorem fuisse. Quam quando in matrimonium duxerit, quaerentes initium aptissime faciemus brevi rerum earum examine, quibus Pompeius ad matrimonia allici solebat. Pompeius, ut in omnibus rebus agendis emolumenta et commoda venari solebat, ita etiam ad nuptias callidis semper consiliis adductus est. Primum sibi

[30]) Plut. Pomp. 30.

despopondit Antistiam, P. Antistii filiam, qui quaestioni de praeda Asculana praeerat, — factus enim reus erat Pompeius Strabone patre mortuo heres et conscius peculatus — ob eamque rem iudicum sententiis absolutus est.[31]) Antistia dimissa Aemiliam, M. Aemilii Scauri et Metellae filiam, tum M. Glabrionis uxorem, duxit a. a. Chr. LXXXII, quippe quae Sullae privigna esset.[32]) Quarta coniunx fuit Iulia, Caesaris filia, quae Pompeio a. LIX quasi pignus concordiae inter eos initae tradita est.[33]) Quintam uxorem habebat Corneliam, filiam Q. Caecilii Metelli Pii Scipionis consulis a. a. Chr. LII. Corneliae autem pater, ut ait Plutarchus, neque genere neque gloria contemnendus erat.[34])

Quae res Pompeium adduxerint, ut Muciam in matrimonium duceret, quamquam non prorsus manifestum est, tamen admodum certa coniectura divinari potest. Mucia fuit soror consobrina Q. Q. Metellorum Celeris et Nepotis[35]), quos fratres (patrueles) P. Clodii fuisse apud Ciceronem legimus.[36]) Clodius, cuius soror Q. Metello Celeri nupserat, e nobilissimo genere ortus Luculli uxoris quoque frater erat.[37]) Lucullus autem consul a. a. Chr. LXXIV a fine huius anni contra Mithridatem habuit imperium, quod Pompeius summopere affectabat, postea etiam adeptus est. Quae opus erant ad hoc imperium assequendum, sane non prius Pompeius parare potuit, quam ipse ex Hispania rediit. At Lucullus consul, cum, quid iste moliretur, non ignoraret metueretque, ne, quae vellet, homo insidiosus consequeretur, cum praesertim epistola ad senatum data minatus esset, se cum exercitu Romam profecturum esse[38]), id potissimum egit, ut pecunia ab eo postulata ei mitteretur itaque ab urbe arceretur Pompeius. Reversus denique ex Hispania confecto bello Pompeius enixus est, ut viros, qui multum valebant, sibi conciliaret, non solum ad neglegendas leges, sed etiam ad evertendas. Obstitit enim ei lex Cornelia de magistratibus, quae quemquam consulem creari vetuit, priusquam quaestura et

[31]) Plut. Pomp. 49. Sulla 33. Cic. pro Rosc. Am. 32.
[32]) Plut. Sulla l. c. Pomp. 9. Zon. X 1.
[33]) cf. Drum. III p. 763.
[34]) cf. Drum. II p. 49.
[35]) Cic. ad famil. V 2 § 6. Dio XXXVII 49.
[36]) Cic. pro domo 3, 7. ad Att. IV 3, 4. ad Fam. V 3, 1. cf. Drum. II p. 24.
[37]) Ibidem p. 382.
[38]) Plut. Lucull. 5, Pomp. 20. Sallust. hist. ep. Cn. Pompei.

praetura functus esset; abrogandae deinde aliae leges Sullanae ei erant, quas invisas populo promiserat se irritas facturum, lex de tribunicia potestate et lex iudiciaria. Tum autem providendum fuit Pompeio Magno, ne sibi deesset nobilium virorum amicitia, quorum auctoritate, si quis voluntatem plebis a se abalienaret, receptum haberet ad senatum, qui eum inter suos numerare nunquam desiit. Itaque cum Cn. Manilius tribunus plebis legem de imperio Cn. Pompei rogaret, optimatium perpauci invidia in Pompeium et timore commoti, ne imperio ad eum delato abuteretur iique frustra repugnaverunt.[39]) Neque P. Clodius propinquum deseruit[40]), qui, cum stipendia mereret in Luculli exercitu, non modo milites abstrahere a Lucullo, sed etiam Pompeium praedicare terrorem hostium et patrem militum non destitit. Neque ambigi potest, quin Q. Metellus Nepos necessitudine commotus sit, ut Pompeium summae potestatis inhiantem pro viribus adiuvaret.[41])

Quis denique, ut aliud etiam argumentum quaestione priore nobis paratum addam, non miretur, Muciam, si Pompeio a. iam LXXX nupsisset, decem per annos marito nullos omnino liberos peperisse? Nam Pompeia quoque filia sine dubio post patris ex Hispania reditum nata est. Certe alia causa inveniri vix potest, quae Servilium Caepionem moverit, ut Pompeiam sibi promissam non statim a. LIX duceret, nisi quod nondum matura fuit; nupsit Pompeia postea non Caepioni, sed Fausto, Sullae filio, cuius iam antea sponsa fuerat.[42]) Quae cum ita sint, vix negari potest, Pompeium non ante a. LXX Muciam in matrimonium duxisse.

Nescio an haec sententia eo etiam commendetur, quod ea recepta verbis quibusdam Valerii Maximi, quae satis bene explicari hucusque non poterant, lux quaedam afferri videtur. Scriptor enim ille[43]) de Mucia quadam haec memoriae tradit:

[39]) cf. Peter, Geschichte Roms II p. 165 sqq.
[40]) cf. Drum. II p. 204, IV p. 154. 158. 415.
[41]) cf. Drum. II p. 29 sqq. Peter, Geschichte Roms II p. 202 sqq. Divortio cum Mucia facto Pompeius voluntatem Metelli a se alienavit. Eadem de causa illo tempore Q. Metellus Celer consul a. a. Chr. LX Pompei consiliis vehementius obstitit.
[42]) cf. Drum. IV p. 592.
[43]) Val. Max. IX 1, 8.

„Gemellus tribunicius viator (a. LII ante Chr.) lupanari domi suae instituto Muciam tum a patre, tum a viro inclitam, prostituit.“ Fuerunt, qui uxorem Pompei eo tempore exactiore aetate fuisse putarent, quam ut ad eam Valerii narratiunculam illam referremus. Iam Muciae nuptiis ad tempus multo posterius reiectis nihil obstare vides, quominus de Pompei uxore Valerium agere credamus.

III.

DE BELLO SICILIENSI.

Sextus fratre interfecto reliquiis exercitus, proscriptis, fugitivis collectis contra C. Iulii Caesaris legatos prospero eventu in Hispania bellum gessit, deinde aliquamdiu praedatus est in mari, denique Siciliam occupavit totam exeunte a. a. Chr. 43. Sed anno demum a. Chr. XXXVIII bellum, quod vocatur Siciliense, inchoatum est. Octavianus duas classes comparavit, quarum altera in sinu Cumano calamitatem accepit[44]), altera tempestate in freto Siculo interiit.[45]) Anno insequenti M. Vipsanius Agrippa, ad quem Octavianus imperium detulerat, classem aedificavit.[46])

Kalendis Iuliis a. XXXVI renovatum est bellum, in cuius partem venerunt Statilius Taurus cum centum et duabus Antonii navibus et Lepidus cum duodecim legionibus et quinque milibus equitum. Constitutum autem erat, ut Caesar a Puteolis, Lepidus ex Africa, Taurus a Tarento Siciliam invaderent itaque Pompeium ab oriente pariter et ab occidente meridieque circumvenirent. Sextus Siciliae oras et insulas Liparam et Cossyram praesidiis munivit, ne Cossyra Lepido, Lipara Octaviano portus aut stationes praeberent opportunas contra Siciliam; robur autem classis Messanae continuit, quod in omnes occasiones esset intentum.[47]) Octavianus Vibone profectus Strongylen (Stromboli) et Liparam traiecit ibique Agrippa relicto ipse continentem

[44]) App. V. 81—83. Dio XLVIII. 46. Oros. VI. 18. Zon. X. 23.

[45]) App. V. 84—90. Dio XLVIII. 47. 48. Suet. Oct. 16. Plin. VII. 45. Solin. I. § 49, Oros. et Zon. l. c. l. c.

[46]) App. V. 96. Dio XLVIII. 49.

[47]) App. V. 97. Dio XLIX. 1.

petiit, ut per occasionem pedestres quoque copias in Siciliam traieceret. Sed cum Agrippa Hieram cepisset[48]), unde litus Siciliae adversum expugnaret, Octavianus ipse conscensis Antonianis navibus a Leucopetra (Capo dell' Armi), promunturio prope Regium in australi Bruttiorum parte sito, Tauromenium transiit interdiu, quamvis praestitutum esset, ut noctu opprimere oppidum conaretur. Insolentia vero et ob victoriam Mylensem ab Agrippa interea partam superbia elatus vel potius occaecatus adeo nullam cautionem adhibuit, ut Pompeiani omnibus ad defensionem idoneis rebus paratis a Tauromenio facile eum excluderent. Quo facto Onobalam flumen et fanum Veneris praetervectus ad Archegetam[49]) castra posuit, unde oppidum aggrederetur. Finit autem id flumen regionem Aetnaeam septentrionem versus. Holm, „Geschichte Siciliens im Alterthum" I p. 339.[50]) „Onobalas", ait, „ist nur eine Fiumara bei Tauromenium, an dem Ausdruck ποταμός kann kein Anstoss genommen werden, denn da Augustus offenbar von Norden kommt, so kann er nicht beim Alcantara vorbeigefahren sein, um unterhalb Tauromenium's ein Lager aufzuschlagen." Sed hoc argumentum parum me movet. Nam probabilius videtur, Octavianum consulto Cantaram flumen praetervectum esse, ut etiam hoc amni castra essent munita, quia eum fugere non potuit. Pompeianos, qui in septentrionali parte erant, de suo consilio certiores factos se opprimere conaturos esse. Deinde idem: „Dass der Acesines (sive Asines) der Cantara und nicht, wie Cluver und Serra di Falco wollen, der fiume freddo südlich von Cantara ist, geht daraus hervor, dass Plinius zwischen dem Aetna und Tauromenium nur den Asines nennt und der Cantara der einzige bedeutende Fluss dieser Gegend ist". Hanc quoque coniecturam, quae, si priorem ratam habeas, vera accipienda est, reicere audeam; constat enim inter omnes, Plinium nequaquam scriptorem esse semper fidum, immo saepius rerum ordinem perturbare, omissis quibusdam factis. Bene Cluverius, naturam huius regionis his verbis exponit: „Inter fluvium

[48]) Hoc modo diversae sententiae Dionis et Appiani, quorum alter Liparam tantum, alter Strongylen et Hieram commemorat, optime in unum congrui possunt.

[49]) Est autem Archegetas Apollinis parva statua, quam olim posuerant Naxiorum ii, qui in Siciliam coloniam deduxerant. cf. Dorns. p. 108 an. 5.

[50]) Holm, Geschichte Siciliens im Alterthum, Leipzig 1870.

Frigidum (Asinem, fiume freddo) et Tauromenium, duobus milliaribus ab hoc, uno ab illo, alius est amnis, vulgo accolis nunc Cantara dictus, priore isto longe maior. Hic ille est, qui Appiano Ὀνοβάλας, Onobala, Vibio vero Tauromenius appellatur. Cum nullus alius sit inter Frigidum sive Asinem fluvium et Tauromenium oppidum amnis, nisi quem hodie Cantaram vocant, extra controversiam est, hunc esse istum Onobalam Appiani, eundemque dictum Tauromenium, quia proxime oppidum Tauromenium a III scilicet milibus fluebat. Veneris fanum ad dextram fuisse ripam Onobalae, Apollinis vero Ducis aram et parvam statuam citra Asinis laevam ripam atque veteris Naxi locum necesse est, quando duo isti amnes uno tantum exiguo inter se distant milliari." [51]) Ceterum etiam Sartorius v. Waltershausen, qui eam totam regionem per complures annos rimatus penitus inspexit, Onobalam esse Alcantaram putat.[52])

Cum Sextus, qui Messanae de adventu Octaviani certior factus cum classe et terrestribus copiis approperaverat, sub vesperum proelium inire nollet, naves eius ad Coccynum promunturium in stationem secesserunt, exercitus vero, qui prope hostem castra metari nolebat, ad Phoenicem oppidum se recepit (App. V 110).

In Coccyno promunturio quaerendo neque de Cocinto (Capo di Stilo), a quo sinus Scylacius incipit, cogitandum esse neque de Pachyno, Siciliae promunturio (Capo Passero), quod utrumque a Tauromenio nimis longe absit, Dornseiffen recte perspexit (p. 109 an. 2). Coccynum proxime Tauromenium situm fuisse necesse est; nam Appianus plane dicit, exercitum prope hostem castra metari noluisse; inde apparet, classem non ita multum ab hostibus recessisse. Romanis autem navibus, quae comparari cum nostrae aetatis monstris non possunt, portus sufficiebat, quem invenimus ad promunturium quoddam, quod hodie Capo S. Alessio vocant, ubi etiam nunc naves oram legentes in ancoris stare solent.[53]) Cum ille portus Tauromenio a Pompeianis occupato castris Octaviani proximus esset, — abest a Tauromenio

[51]) Cluveri Sicilia antiqua I. c. 7. Lugduni Batavorum. 1619.

[52]) Sartorius v. Waltershausen, „Der Aetna", herausgegeben v. Lasaulx. Leipzig 1880.

[53]) Laurie, Mediterranean directory part. I p. 195. Point St. Alessio is an abrupt bold cliff, with several rocks upon it, where coasting craft occasionally anchor. Vid. quoque Mediterranean Pilot. I p. 348. London 1873.

circiter VII milia passuum inter septentriones et orientem solem spectans — elucet, promunturium „S. Alessio" habendum esse pro Coccyno. Nam hoc promunturium a Tauromenio non potest vergere in meridiem, quod Octaviano ad Messallam Leucopetrae cum exercitus parte relictum (App. V 109) redeunti classis Pompeiana ex adverso occurrit (App. V 111).

Phoenicem oppidum omnino non fuisse aut saltem eius nomen corruptum esse viri doctissimi usque ad nostram memoriam putaverunt. *Φοίνιξ* autem nihil aliud est nisi Palma in Itinerario Antonini (p. 40. Tamaricio sive Palma.) memorata, quae a Tauromenio ad septentriones vergens inter duo flumina, quae hodie vocant F. di Nisi et F. di Savoca, intermedia fere ad maris litus sita est nomenque antiquum per omnia saecula servavit. Qui locus aptissime quadrat ad rem ab Appiano narratam, nam longiore intervallo — a Tauromenio abest XV m. p. m. Itin. p. 40 — ab Octaviani castris disiunctus est quam promunturium „S. Alessio". Ad hoc oppidum igitur Sexti exercitus se recepit.

Octavianus contra Sexti copias terrestres pugnandum sibi non ratus adversus hostium naves, quarum paucitatem contempsit, provectus est et maiorem suae classis partem amisit parumque afuit, quin ipse una periret; fortuna autem ad Italiae litus delatus est.[54])

Appiano teste ad Abalam portum Octavianus pervenit. Hoc nomen apud alium scriptorem non invenitur. Id solum pro certo haberi potest, Abalam Bruttii portum fuisse. Cluverio (Ital. antiq. II p. 1295), qui hunc portum Abalam a Balaro portu diversum fuisse negat, haudquaquam adstipulor. Balarus enim, quo Salvidienus Rufus e proelio improspero in septentrionali freti Messanensis exitu commisso navium partem reduxit, haud dubie eo loco positus erat, ubi nunc Bagnara, quod a Scyllaeo promunturio septentriones versus haud longe abest. Hunc vero portum Octavianum fugientem post cladem Tauromenitanam attigisse quis credat? Imperator trepidus tutissimo certe transitu ad legiones in Bruttio relictas rediit, non per fretum Messanense, quod Pompeianorum etiam tunc in manibus erat. Non mari Tyrrheno, sed Siculo Abalam portum appositum fuisse eo optime colligitur, quod Messalla, cuius stationem Leucopetram fuisse

[54]) App. V 112. Dio XLIX 5. Liv. 129. Vell. II 79.

scimus, haud longe ab Abala portu aberat, et navicula quadam Octavianus Abala Leucopetram properavit. Hoc in itinere iterum eum fretum Messanense pervectum esse, nemo sibi persuadebit.

Denique Balaro portui multo propior adfuisset Carrinas, qui cum tribus legionibus ad Columnam Reginam constitit, ad quem postea demum Messalla Octavianum deduxit (App. V 103 et 112). Quid multa? Abalam portum haud procul a Leucopetra situm fuisse liquet. Fuit autem sine dubio portus vel potius statio admodum parva et infrequens, quod aliter fieri non potuit, ut Octavianus tuto se huc reciperet atque moraretur aliquamdiu, priusquam a militibus quibusdam repreriretur, qui de montibus descenderant ad res cognoscendas.

Octaviani copiae terrestres duce Cornificio in castris relictae a Pompeianis obsessae sunt. Cum tamen Sextus certamen detrectaret sperans, se hostes fame subacturum esse, Cornificius nullo auxilio oblato castris relictis Mylas petit itinere difficillimo, quod hisce verbis ab Appiano describitur: „*ὁ Κορνιφίκιος . . . βαλλόμενός τε καὶ χαλεπῶς, ἐν μὲν τοῖς πεδινοῖς ὑπὸ τῶν ἱππέων, ἐν δὲ τοῖς τραχέσιν ὑπὸ τῶν ψιλῶν τε καὶ κούφων . . . τετάρτῃ δ' ἡμέρᾳ μόλις ἐπὶ τὴν ἄνυδρον γῆν ἀφίκοντο, ἣν ῥύακα πυρὸς λέγουσι, ποτὲ μέχρι θαλάσσης κατιοῦσαν, ἐπικλύσαι καὶ σβέσαι τὰ ἐν αὐτῇ νάματα. καὶ αὐτὴν οἱ μὲν ἐπιχώριοι μόνης ὁδεύουσι νυκτός, πνιγώδη τε οὖσαν ἀπ' ἐκείνου καὶ κονιορτοῦ σποδώδους γέμουσαν, οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Κορνιφίκιον οὔτε νυκτὸς ἐθάῤῥουν, ἐν ἀσελήνῳ μάλιστα, ἰέναι δι' ἀπειρίαν ὁδῶν καὶ ἐνέδρας, οὔτε ἡμέρας ὑπέμενον, ἀλλ' ἀπεπνίγοντο καὶ τὰς βάσεις ὡς ἐν θέρει καὶ καύματι ὑπεκαίοντο, μάλιστα οἱ γυμνοί . . . . . . ἐπεὶ δὲ καὶ τὰς ἐξόδους τῆς διακεκαυμένης ἕτεροι κατεῖχον πολέμιοι, ἀμελήσαντες τῶν ἀσθενεστέρων τε καὶ γυμνῶν ἀνεπήδων ἐς τοὺς αὐχένας οἱ δυνάμενοι τόλμῃ παραβόλῳ, καὶ ἐβιάζοντο τοὺς πολεμίους ἐς ὅσον εἶχον δυνάμεως. κατεχομένων δὲ καὶ τῶν ἑξῆς αὐχένων, ἀπεγίγνωσκον αὑτῶν ἤδη, καὶ μεθεῖντο ὑπὸ δίψης καὶ θέρους καὶ κόπου. προτρέποντος δὲ αὐτοὺς τοῦ Κορνιφικίου, καὶ πηγὴν πλησίον οὖσαν ἐπιδεικνύντος, οἳ μὲν αὖθις ἐβιάζοντο, πολλοὺς ἀπὸ σφῶν ἀπολλύντες, ἕτεροι δὲ τὴν πηγὴν κατεῖχον πολέμιοι, καὶ παντελὴς ἤδη τοὺς τοῦ Κορνιφικίου κατεῖχεν ἀθυμία, καὶ παρίεντο. ὧδε δὲ αὐτοῖς ἔχουσι Λαρώνιος ἐπιφαίνεται μακρόθεν, ὑπ' Ἀγρίππου σὺν τρισὶ τέλεσι πεμφθείς . . . . οὕτω μὲν ἐξ ἀέλπτου Κορνιφίκιος καὶ τοῦ στρατοῦ τὸ φθάσαν μέρος περιεσώθη πρὸς Ἀγρίππαν ἐς Μύλας.*" (cf. Appianum V 113, 114, 115.)

Dio XLIX 6 addit haec: „ἔν τε οὖν τῇ ἄλλῃ πορείᾳ καὶ ἐν ταῖς διαβάσεσι τῶν ποταμῶν μάλιστα ἰσχυρῶς ἐταλαιπώρουν· περιστοιχιζόμενοι γὰρ αὐτοὺς οἱ ἐναντίοι καὶ κατ' ὀλίγους οἷα ἐν τῷ τοιούτῳ, σπουδῇ ἀτάκτως χωροῦντας, ἔς τε τὰ καίρια παραγυμνουμένους ἔπαιον, καὶ ἐς τὰ πηλώδη τά τε ῥοώδη ἐσπίπτοντας ὡς καὶ ἐνισχομένους ἢ καὶ παραφερομένους ἔβαλλον.[55])

Ex his verbis, quibus quam magnis loci difficultatibus Cornificius sit conflictatus describitur, colligi posse censeo, qua via ille Mylas profectus sit. Dornseiffen (p. 113) putat, iter in septentriones conversum fuisse, ex binis igitur faucibus alteras Tauromenitanas intellegendas esse quinque milia passuum ab ipsa urbe Tauromenio sitas, alteras Mylenses, per quas iter Messana Mylas fert. (Cluver Sic. ant. I. c. 6. Holm G. S. I. p. 14.) Sed fieri non potuit, ut Cornificius hanc viam ingrederetur; nam primum quidem recta in hostium manus venisset, quorum robur in septentrionali insulae parte continebatur. Sexto autem opus non fuisset cum gravis armaturae militibus accedere, ut Cornificianos extremis malis afficeret (Dio XLIX. 7.). Deinde nulla unquam fuit massae ardentis vis, quam nos dicimus „Lava", quae ex Aetnaea regione tam longe septentriones versus prorumperet, ut vicina esset faucibus Tauromenitanis, denique fauces Mylenses ab illis longius absunt, quam ut ex illis conspici unoque impetu capi possint. Quavis mappa geologica inspecta, qua Aetnae ardentia flumina delineata sunt, facillime intelleges, non septentriones, sed occidentem petiisse Cornificium, si quidem itineri eius montis ardentis aestu difficultates et pericula parata sunt.

„Aetna radices suas fere in orbem deducit, nisi sicubi orientem et meridiem versus promisso clivo paulisper extenditur. Imi colles atque omnis radicum ambitus per oppida et per vicos frequens incolitur. Hic fluvii personantes, hic obstrepentes rivi, hic gelidissimae fontium perennitates sunt, ut ait Petrus Bembus, qui a Tauromenio per Randatium oppidum quondam in montem ipse ascendit."[56]) Illi rivi, quod in terra calcaria et argillosa fluunt, magnam limi copiam vehunt et imbribus aucti tam violenti sunt, ut facile pontes rescindant.[57])

---

[55]) App. V 113—115. Dio XLIX 6. 7. Vell. II 79.

[56]) Cluv. Sic. ant. I. c. 8.

[57]) Lasaulx, Sicilien, Vortrag, gehalten zu Breslau. p. 13 et 16, Bonn 1879.

„Weithin wird das reiche Wasser, das vom Aetna unter den Laven hervorquillt, nach allen Seiten in die Ebene herumgeführt und in tausend und abertausend rieselnden Armen bringt es Fruchtbarkeit in den dürren Boden".[58])

Hos igitur rivos cum milites ingressi essent, limo alii sunt submersi, alii impetu fluminis abrepti gurgitibus perierunt. Iter factum est per Onobalae vallem adverso hoc flumine in dextra[59]) ripa inter occidentem et septentriones. Cornificius primum transiit regionem, in qua nunc sunt Piedimonte et Linguagrossa, et in quam tunc ignis profluvium nullum proruperat.[60])

Quarto die pervenisse videtur ad illum vicum, quem hodie Mojo vocant, ubi ora sunt, e quibus illa massae ardentis vis eructata est, quae sola a monte usque ad mare porrecta ad septentriones potissimum vergit.[61]) Multum autem distat a faucibus Tauromenitanis, ideoque inde ad has fauces statim perveniri non potest. Haud procul a Randatio est arida illa regio, in qua inopia viarum et novo ignis profluvio, quod partim etiam exardescebat, et adventu Sexti extremis malis Cornificiani sunt affecti. Sita vero est haec regio media fere in Aetnae declivitate, inter vicum, quem hodie Mojo appellant et Randatium (Randazzo).[62]) Etiamnunc deserta eiusque calles devii iis tantum patent, qui a pueris eam triverunt. „In dieser Wueste, in der nur nackte Lava und Aschenfelder mit Schlackenkegeln und Kraterbergen abwechseln, auf der nur hier und da die kümmerlichsten Pflanzen Boden fassen, giebt es auch keinerlei Wasserquelle.[63]) Zwischen Randazzo und Bronte tritt das Sandsteingebirge[64]) am nächsten an den Aetna heran. Wie ein Keil schiebt es sich in die Lava des Vulkans hinein, und so sind

---

[58]) Idem p. 35.

[59]) In sinistra tota regio nimis montuosa est, quam ut Appiani descriptioni loci conveniat; vid. Sart. Aetna II p. 25. 26 eiusque tabulam.

[60]) I. Sartorii tabula. II. Carta della parte settentrionale dell' Etna, eruzione del 1879. III. Geologia d' Italia per Gaëtano, Antonio Steppani e Giuseppe Mercalli, parte terza. Milano 1880.

[61]) Sart. Aetna II p. 127 sqq. qui acuratissime illius massae cursum describit.

[62]) Plerumque Randatium habetur pro antiqua Tissa.

[63]) Sart. II p. 130.

[64]) Aetnae septentrionalis atque occidentalis pars circumdatur perpetuis iugis montium, quorum lapis non liquefactus ille et ex Aetnae visceribus eiectus, sed harenaceus est.

seine aeussersten Vorspruenge nur 12000 m vom Gipfel entfernt." A Randatio ad occidentem versus Cornificiani profecti venerunt ad Simaethi fluminis et Onobalae divortium, ubi duo iuga sunt angusta valle seiuncta. Hic illas binas fauces collocandas esse puto, quarum in alteris Laronius subito apparuit.

Iam vero, quid eodem tempore Octavianus egerit, videamus. Simulac Leucopetrae paullulum se recreavit, id maxime ei curandum erat, ut exercitui in Sicilia relicto quam celerrime auxilia submitterentur. Proxime Siciliae insulae imminebant Carrinatis legiones, quae ad Columnam Reginam imperatoris iussa exspectabant. Ad Carrinatem igitur cum M. Valerio Messalla Octavianus properat *Κορνιφικίῳ τε πάντας ἐπικουρεῖν ἐκέλευεν*. Iam Carrinati imperatum esse, ut Cornificio subventurus copiis omnibus in Siciliam transgrederetur, per se patet.

At Appianus mira prorsus narrat. Cui si credas, Octavianus *ἐξῄει πρὸς Καῤῥίναν τρία ἔχοντα ἐπὶ τοῦ πρόπλου τέλη καὶ τῷδε μὲν ἐκέλευσε διαπλεῖν ἐς Λιπάραν, ἔνθα καὶ αὐτὸς ἔμελλε διαπλευσεῖσθαι*. Fieri sane omnino non potuit, ut in tanto belli discrimine, ubi omnis victoriae spes cladisque periculum in Sicilia posita erant, Octavianus legiones tres a belli theatro in insulam longe distantem, sibi iam subiectam removeret ipseque quasi fuga turpissima hostibus tergum vertere, in locum illum tranquillum se recipere constitueret.

Verisimillimum est, Carrinatem non Liparam, sed Tyndaridem navigasse, quam Agrippa tunc iam occupaverat. Teste Appiano Octavianus subsecuturus erat Carrinatem; ecce, non Liparam, sed Tyndaridem (V. 116) traicit. Dio quoque (XLIX. 8) Octavianum tum in Siciliam proficiscentem facit.

Itaque patet, verba „*διαπλεῖν ἐς Λιπάραν*" corruptela laborare, quae facillime sic emendabitur: *διαπλεῖν ἐς τὸ πέραν*.

Haec emendatio eo quoque fulciri videtur, quod Appianus illis verbis etiam saepius usus est:

IV 3: *τὰ πέραν ἄρα τοῦ Ἰονίου*
IV 79: *τοὺς τοῦ Ἰονίου πέραν*
V 3: *ἐς τὰ πέραν ἔθνη*
V 9: *ἐς τὸ πέραν* (*τοῦ ποταμοῦ*).

Iam apud Appianum omnia optime procedunt. Tyndaridem Octavianus transgressus, quo magnum iam copiarum numerum cogerat, fauces Mylenses, Mylas, Artemisium occupavit.[65])

[65]) App. V. 117. Dio XLIX. 8.

Quod cum animadverteret, Pompeius accivit Gallum Tisienum cum exercitu, qui in Siciliae australi parte contra Lepidum rem gesserat. Cui cum Octavianus obviam proficisceretur, aberravit a via circa Myconium montem, ubi sine tentoriis pernoctavit. Facti sunt Aetnae horrendi fremitus et longi mugitus, excandescentibus quoque ignibus exercitumque fulgore terrentibus, adeo ut Germani e stragulis prosilirent, reliqui autem animo volverent, quae de Aetna incendiis fando audivissent, timerentque, ne inter tot tantaque miracula ignis profluvio obruerentur. Die insequenti Halaesinorum[66]) agrum Octavianus vastavit, ubi Lepidus ei frumentans obviam factus est. Paulo post ad Naulochum navali proelio victus Sextus Pompeius Asiam fuga petivit, ubi bellum adversus Antonium moliens et modo ducis, modo supplicis partes agens a Titio occisus est.

[66]) Appiano teste (V. 117) Palaestenorum agrum vastavit. Cluverius et alii istos *Παλαιστηνούς*, qui nunquam in Sicilia fuerunt, corrigendos esse in *Ἀβακαινίνους* putaverunt. Propius multo ad nominis formam in codicibus traditam emendationem *Ἁλαισήνους* accedere nemo negabit. Hoc nomen etiam rei ab Appiano narratae optime inseritur. Halaesini fuerunt opulenti eorumque terra ad frumentandum idonea. Urbs eorum ad ostium Halaesi fluvii (Pettineo) sita erat; rudera apud Tusam inventa sunt. cf. Holm. G. S. I. p. 34. Hinc etiam apparet, quo loco Myconius mons collocandus sit.

IV.

DE SEXTI INGENIO AC MORIBUS.

De Sexti ingenio ac moribus quam acerbe et veteres et nostrae aetatis rerum scriptores iudicaverint, quis est, qui nesciat?[67]) Tot tantosque viros non prorsus a vero aberrasse improbantes multa, quae Sextus egerit, ne ego quidem infitior. At fore spero, ut et Sexti ipsius aetate et rerum hominumque, quorum iniquitati iuvenis obicebatur, natura accuratius perpensa aliqua saltem, quae in rebus gestis eius miramur, neque explicatione neque excusatione carere videantur.

Ut ab ingenii eius cultu incipiam, quis Sexto crimini vertat, quod „studiis rudis, sermone barbarus“ fuerit? Qui si in gremio pacis, in aula imperatoris, inter poetas et oratores parasitas adolevisset, forsitan haud minus eloquens elegansque Augusti adulator exstitisset quam Velleius, qui opprobrio illo eum afficit. Mihi quidem luce clarius videtur, adulescentem sedecim vel septemdecim annorum, qui a primis, quae nobiles Romani colere solebant, studiis, belli civilis tumultu sevocatus est et complures per annos fugitivus nusquam secure agens omnes circa mare Medium sitas regiones permigravit, ne eum quidem eruditionis statum retinere potuisse, quem puer attigerat, immo in castris piraticis ad rudius paulatim ac paene barbarum sermonis genus delapsum esse. Nequaquam igitur ea, quae Cicero de Sexti epistolis neque inepte nec nimis ineleganter scriptis memorat[68]), Velleiano

[67]) cf. Vell. II 73. App. V 25. 91. 100. 110. 143. Dio XLVIII 28. Drumann IV p. 590 sq. Dornseiffen p. 135 sqq.

[68]) ad Att. XV 7: Gratum quod mihi epistolas, quae quidem me delectarunt, imprimis Sexti nostri. Dices, quia te laudat. Puto mehercule id quoque esse causae, sed tamen etiam, antequam ad eum locum veni, valde mihi placebat cum sensus eius de re publica, tum cura scribendi.

ad Att. XVI 4: Pauca *παρὰ λέξιν*, ceteroquin et satis graviter et non contumaciter.

illi testimonio opponam. Immo Velleium verum enuntiasse persuasum habeo. Sed talia menda non dedecent virum, qui tanta fortunae invidia tot casibus iactatus est, ut, quoad viveret, de vita certare a magnisque viris vexatus infimorum auxilium et societatem amplecti cogeretur.

Item rerum connexum totamque Sexti vitae condicionem respicere oportebit, si, quo iure eum „fide patri dissimillimum“ Velleius dixerit, quaeritur. Nimirum caedem Auli Pompei Bithynici et Statii Murci resque a Sexto adversus Antonium in Asia gestas scriptor spectavit. Bithynicus praetor Siciliae a Sexto Messanae obsessus huic cessisse dicitur ea condicione, ut aequabiliter imperium inter se dispertirent.[69]) Quae tamen condicio a Dione solo commemoratur. Bithynicus postea interfectus est[70]), quod spe deceptus Pompeio insidiari videbatur. Cur Sextus imperium cum eo non communicaverit, infra necessitudine familiaritateque, qua Sextus cum libertis iunctus erat, explicata elucebit. Utrum Bithynicus iniuria supplicium subierit necne, nobis pro certo diiudicare non magis continget quam aequalibus omnibus.

L. Statius proelio ad Philippos commisso Sexto duas legiones et quingentos sagittarios et pecunias magnas navesque octoginta adduxerat. Sed quamvis gratias ei deberet magnas, tamen Sextus Murcum „*διά τε ἀξίωμα καὶ γνώμην ἐγκρατῆ*“ aegre tulit. Cum igitur Menodorus libertus eum, quod foedus Misenense suaderet, deferret apud Pompeium quasi dominationis sibi parandae studiosum, hic a Murco facile ita abalienatus est, ut nunquam abinde consilium eius sequeretur.[71]) Ille Syracusas secessit et, cum, conspectis nonnullis custodibus a Pompeio ad insequendum missis in Pompeium iactasset convicia, occisus est. Nam Pompeius, ut Appianus addit, corruptum ipsius Murci tribunum centurionemque misit, qui Murcum interficerent et a servis propriis fingerent interfectum. Hos autem Sextus cruci suffixit, quo maior haberetur fides isti fabulae.[72]) His ex facinoribus crudelitas quaedam

[69]) App. IV 84 et 85. Dio XLVIII 17.

[70]) App. V 70. Dio l. c. Liv. 123.

[71]) Falsane haec criminatio sit, an vera, non satis constat.

[72]) App. V 25 et 70. Dio XLVIII 19. Vell. II 77. „Dubia sunt quae addit Appianus, primum quod ex Caesariano fonte fluunt, deinde, quod non satis his ipsis, quae afferuntur, Sextum facinoris participem fuisse confirmatur; ex altera parte autem non abhorrent plane a probabilitate.

apparet. Sed quis est, qui nesciat, quanta immanitate triumviri in inimicos egerint et caedem caede accumulaverint, quantopere Sextum non tantum constantia et calliditate, sed etiam inhumanitate superaverint? Ferrea aetas mites homines genuit nullos.

In Asia denique Antonio minime sane fidum se praebuit, sed habet hoc satis, ne dicam excusationis, certe tamen explicationis: etenim, ut Sextus suum arbitrium servaret, Antonium per frustrationem differi oportuit.

Cogitandum quoque est, Antonium paternam Sexti domum possessam habuisse. Quod quantopere Sextum exacerbavisset, iam apparuit, cum apud Misenum de foedere inter eos ageretur. Cum enim Octavianum et Antonium navi exciperet, ad Antonium versus non insulse dixit, in Carinis suis se cenam dare, referens hoc dictum ad loci nomen, ubi paterna domus ab Antonio possidebatur.[73])

Praeterea respiciendum est, Sextum foedere inter Octavianum et Antonium ad Brundisium icto ab Antonio, qui se obiturum promiserat negotia, de quibus inter eos convenerat, et daturum esse operam, ut eum cum Octaviano reconciliaret, destitutum esse.[74]) Antonius inter omnes eius aetatis Romanos perfidissimus fuit[75]); sed haec hactenus; nam quanta perfidia et hic et Octavianus in Sextum fuerint, infra accuratius tractari oportebit. Quodsi in talem hominem Sextus fraudulente egit, non magnum peccatum animadvertendum est.

Nam cum verisimile sit, Murcum etiam de reditu proscriptorum cum Octaviano egisse, haud difficile intellegitur, cur Sextus furtiva potissimum morte Murcum interfecerit". Risse p. 19. Eodem modo postea in Asia Theodorum libertum ut proditorem interfecisse dicitur, sed id exemplum hic non protuli, quia non satis elucet, utrum ille revera Sexti consilium prodiderit necne.

[73]) Vell. II 77. Plut. Ant. 32. Dio XLVIII 38 (Aur. Vict.) de v. ill. 84.

[74]) App. V 52. 63. 65. 66. 134. Dio XLVIII 29 contendit, Antonium iureiurando se obstrinxisse, se cum Sexto bellum gesturum esse contra Octavianum.

[75]) Rectissime de eo iudicat Schiller, Röm. Kaiserzeit. Gotha 1883. I p. 18: Roemische Tradition, Nationalitaet und Ehre waren Begriffe, die in diesem beweglichen und oberflaechlichen Geiste nur schwach entwickelt waren, fast so schwach, wie der kategorische Imperativ der Pflicht, alle diese Maechte erwiesen sich ohnmaechtig, wenn sein Vortheil und seine Leidenschaft in Frage kam. In den Mitteln der Intrigue und der Gewalt wich er keinem Gegner, kannte er keine Ruecksicht.

Amicis ceteroquin Sextus fidum semper et sincerum se praestitit. Foedus cum triumviris inire noluit, nisi omnium dictorum factorumque venia et oblivio etiam iis in perpetuum sanciretur, quos perfugas ipse servasset. Postulavit autem Pompeius, ut ex proscriptis, qui apud se versarentur, Caesaris quidem interfectoribus concederetur securum exsilium, reliquis vero honoratus in patriam reditus bonorumque immobilium restitutio. Cum vero triumviri aegre tandem concessissent, ut quarta bonorum pars restitueretur, et profugi hac de re certiores facti eam condicionem accepissent et Sexto supplicassent, ut pacem componeret, proditum se conquestus est ab his, quorum hactenus propugnator fuisset.[76]) „Neque dubium est, quin quae voluit assecuturus fuerit, nisi proscripti eum deseruissent."[77]) Ceterum a triumviris impetratum est, ut servis, qui sub Pompeio militassent, praemium esset libertas, ingenuis vero post peracta stipendia praemia eadem persolverentur, quae veteranis triumvirorum. Dum ad Misenum in navi eius epulantur hospites, Menodorus ad Pompeium misisse fertur eumque admonuisse, ut adversariis dolo potiretur et ulcisceretur illatam patri fratrique iniuriam et occasione arrepta paternum sibi pararet imperium; se enim cum navibus in propinquo versatum id acturum, ut nemo effugeret. Pompeius vero respondisse dicitur: Utinam Menodorus hoc iniussu posset perficere, nam illi periurium convenit, non Pompeio.[78]) Etiam Octavianus Sextum „*πιστότερον καὶ ἰσχυρότερον*" putavit quam Antonium.[79])

Sed et Octavianus et Antonius multifariam eum fefellerunt, cum primum eum insontem damnarent et proscriberent, deinde cum Brundisii pactionem facerent[80]), Sextus autem Antonii verbis — *ἐπιμελησόμενος τῶν συγκειμένων* App. V 63 — nimium fretus speraret, hunc se Octaviano reconciliaturum, denique foedere Misenensi[81]), quoniam Antonius postea contra pactum Achaiam

---

[76]) App. IV 36. V 71 et 72. Dio XLVIII 36. Vell. II 77.

[77]) Risse p. 18.

[78]) App. V 73. Dio XLVIII 38. Plut. Ant. 32 dicit, Menodorum ipsum ad Pompeium accedentem id proposuisse. Zon. X 22.

[79]) Dio XLVIII 16.

[80]) App. V 60. 65. 93. Dio XLVIII 28, 34. Zon. X 22. Liv. 127. Horat. Sat. I 5. Vell. II 76. Plut. Ant. 30. cf. Schiller, Roem. Kaiserz. I p. 92.

[81]) Tacit. Ann. I 10. Schiller, I p. 96: „Die Zugestaendnisse der Triumvirn gingen viel zu weit, als dass sie die Absicht haben konnten,

tradere recusavit[82]) et Octavianus Menodorum perfugam, quem acceperat, Sexto postulanti non reddidit.[83])

Huc accedit, quod Octavianus divortium fecit cum Scribonia, Sexti amita[84]) et iam inde a pace Misenensi bellum Siciliense paravit.[85]) Sextus si omnia consilia atque facta ad dignitatem referre voluisset, ad eam imprudentiam processisset, ut aequalibus, qui summam virtutem relegaverant ex re publica, risui esset. Si statim Antonio in Asia se subiecisset, ipse omnem sibi spem recuperandorum patris bonorum praecidisset. Aequum est, res ab eo gestas omnes non metiri officio et virtute, sed respicere illa tempora eorumque mores.

Sextus non tam acri ingenio erat, ut adversarium ad internecionem delendum esse intellegeret, si summam voti consequi vellet. Patrum inimicitias a liberis repetitas non finiri potuisse nisi alterius morte inter omnes constat. Sed hoc ipsum Sextus nunquam intellexisse videtur. Si vero iam ab initio belli de industria, ut nonnunquam videtur, adversario pepercit, spe victus est, Octavianum populi iussu aliquando tandem pacis fidem servaturum esse. Id videntur sibi voluisse Flori verba ista: „Magni famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius, nisi quod magnae indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit Asiamque velis petit venturus ibi in manus hostium et catenas et, quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Non alia post Xerxen miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus cum sex septemve fugiebat, exstincto praetoriae navis lumine, anulis in mare abiectis, pavens atque respectans et tamen non timens, ne periret.“[86])

Iam ante foedus Misenense populum flagitare pacem Sexto notum exploratumque fuit. Tum populus, qui modo Octaviano

dieselben zu erfüllen.“ Duruy, Histoire des Romains, II p. 565: „le traité de Misène était inexécutable. Les premiers torts vinrent des triumvirs.“

Dio XLVIII 45: *οἷα γὰρ οὐκ ἐθελονταί, οὐδὲ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλὰ ἀναγκαστοὶ τὴν ὁμολογίαν πεποιημένοι, χρόνον οὐδένα αὐτῇ ἐνέμειναν, ἀλλ' εὐθὺς τὰς σπονδὰς λύσαντες διηνέχθησαν.*

[82]) App. V 77.

[83]) Dio XLVIII 45.

[84]) Suet. Oct. 62. Dio XLVIII 34. Octavianus Scriboniam L. Libonis sororem in matrimonium duxerat a. XL.

[85]) cf. Risse, de gest. Sext. Pomp. p. 25.

[86]) Florus IV 8.

et Antonio tamquam triumphum quendam decreverat, propter bellum contra Sextum continuatum adeo irritatus erat, ut tumultu facto instaret atque urgeret, ut pax cum eo componeretur; sed hic tumultus maiore armatorum manu suppressus est.[87]) Quae cum ita essent, quod Sextus etiam foedere Misenensi rupto adversarium tandem ad pacem aductum iri putavit, quid mirum?

Sexti adulescentiam, rei militaris imperitiam, amorem pacis, haec omnia ratione animoque lustrantes perspicere coepimus, cur a. XL Sextus accurate fecerit, quae Antonius praecepit. Quod obsequium offendimus primum, cum Antonius eum hortaretur, ut classe invaderet Italiam et quantum posset infestaret.[88]) M. Cocceius Nerva[89]), Octaviano et Antonio amicus, utrumque in gratiam reconciliaturus, illi, qui conquestus erat, Sextum maritimas Italiae regiones vexare non ausum fuisse, nisi commotus fuisset fiducia Antonii, „immo“, ait, „iussu Antonii, non solum fiducia.“) Deinde cum Cocceius suaderet Antonio, ut Sextum ex Italia in Siciliam revocaret, rursus Antonius iussit, Sextus obsecutus est.[90])

Denique Sexto Pompeio obicitur, quod ex libertis partim suis partim patris pependit; sed non semper iustum est, consilia eventu ponderare. Sexto, qui difficili bello praeesse non poterat, opus erat aliquo, quem consuleret. Suo iure in Sicilia non iam habuit fidem optimatibus, qui saepius in graviorem suspicionem venerant.[91])

Iam ante pugnam Pharsalicam Pompeio Magno invidiam conflantes eumque dominandi cupiditatis insimulantes et acerbis facetiis irridentes eum impulerant, ut optimis consiliis omissis voluntates ipsorum sequeretur; omnino ita se gesserant, ut magis imperarent quam imperatoris mandata exsequerentur Pompeiumque

[87]) App. V 67 sq. Dio XLVIII 31. Liv. 127. Vell. II 77.

[88]) App. V 56. Dio XLVIII 30.

[89]) De hoc vid. Drum. I p. 421.

[90]) App. V 62 et 63.

[91]) Nicol. Damasc. *βίος Καίσαρος* frag. 19: *„ἀχθόμενοι τῇ ἑνὸς ἰσχύι.“* Schiller, Roem. Kaiserz. I p. 57: „Lauter glaenzende vornehme Namen — aber ebenso viele Buergschaften, dass Keiner sich dem Andern unterordnen, vielmehr jeder die Herrschaft für sich beanspruchen oder wenigstens die jedem echten aristokratischen Regimente unentbehrliche Niveaugleichheit festhalten und mit eifersuechtiger Entschlossenheit das Heraustreten einzelner Persoenlichkeiten hindern werde.

non iam ut imperatorem, sed ut imperata accipientem omnia contra ipsius voluntatem facere cogerent.[92]) Itaque Pompeius Magnus postea saepe questus esse dicitur, tantum se opinionem fefellisse, ut a quo genere hominum victoriam sperasset, ab iis initio fugae in pugna Pharsalica facto paene proditus videretur.[93])

Gnaeum, ut supra demonstravimus, optimates ex Africa in Hispaniam miserunt, ut se eius praesentia sibi molesta liberarent.

Cicero ipse est gravissimus testis animi optimatium in Pompeios, cum Attico scribit „Sextum Pompeium Corduba exisse et fugisse in Hispaniam citeriorem, Gnaeum fugisse nescio quoneque enim curo.“ [94])

Recordare, quid, ut supra diximus, Corcyrae acciderit: iam intelleges, optimates a sincera erga Pompeios voluntate longe afuisse.

His igitur de causis Sextus confugit ad libertos, quos postea impedire, quae vellet, non posse certo scivit. Propter hanc inter illum et libertos consuetudinem Velleius (II 73) Sextum insectatur his verbis: „Sextus libertinorum suorum libertus eorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis.“ Florus (IV 8) Menam et Menecratem libertos, quos classi Sextus praefecerat, foeda servitia appellat. Quid? Nonne etiam Cn. Pompeius Magnus ipse intima familiaritate libertorum usus est? Ex testimoniis, quibus de hac re agitur, nonnulla subnotavi.[95]) Praeter Demetrium, opulentissimum illius libertum, memoriae proditi sunt Lenaeus et Pompeius Vindullus, qui ad suum arbitrium Pompeium Magnum regebant. Praeterea Graecorum comitum auctoritati Pompeius Magnus mirum quantum obtemperavit[96]), imprimis Theophani Mytilenaeo.

Favitne etiam Sulla libertis? Commemoro tantum Chrysogonum, Tarullam, Scyrrum. Multorum igitur libertorum nomina nobis referuntur, qui illis temporibus multum valebant; conferas velim Plinium XXXV 18 (58): „in catasta videre Chrysogonum Sullae, Amphionem Q. Catulli, rectorem L. Luculli, Demetrium Pompei, Augenque Demetrii, quamquam et ipsa Pompei credita est, Hipparchum M. Antonii, Menam et Menecratem Sex. Pompei,

[92]) App. V 67. 69. 72. Plut. Pomp. 67. 68. 72.

[93]) Caes. b. c. III 96.

[94]) Cic. ad fam. XII 37.

[95]) Plut. Pomp. II. XXXI. XL. Cato m. XIII.

[96]) Cic. ad Att. V 11. IX 1 et. 11. Tac. An. VI 18 cf. Drum. III p. 520 et IV p. 553.

aliosque deinceps, quos enumerare iam non est sanguine Quiritium et proscriptorum licentia ditatos.“

Atqui Sextum Pompeium, quod mores ac consuetudinem suae aetatis secutus est, vituperemus? Quin etiam eius liberti, quorum nomina nobis tradita sunt, non solum in bello strenui duces fuerunt[97]), verum acri ingenio etiam eminuerunt.

Velut Menodorus ante foedus Misenense, cum ceteri omnes una voce et uno consensu, ut pacem faceret, Sexto suaderent, solus ei scripsit ex Sardinia, ut aut fortiter in bello perseveraret, aut saltem cunctaretur amplius, nam famem pro ipsis pugnantem effecturam esse, ut pacem aequioribus condicionibus adipiscerentur. Cui consilio si Sextus paruisset, postea non spe lapsus esset, nam haec imaginaria pax facta est, quae mox bello redintegrato dirimeretur.

Reliqui autem tum accusaverunt Menodorum, quod paci obstaret permotus minus amore domini quam dominandi cupiditate, ut ipse etiam amplius imperium teneret. Sextum iis obsecutum iam in colloquiis de pace ineunda habitis eam Menodori condicionem respuisse poenituit. Crebro enim eum nomine invocavit ut imperatoriae artis imprimis gnarum et solum benevolentiae constantem.[98])

Menodorus cum Sexto consilium daret, ut hospitii et amicitiae ius officiumque violans adversarios in illo ad Misenum convivio opprimeret, eum quidem de fide non deduxit, sed se melius ceteris Sexti comitibus perspexisse res et quae postea acciderunt, iam tum animo praesagivisse ostendit. Drumann (I p. 431) et Dornseiffen (p. 77) cum antea Menodorum Sardiniam occupasse neque inde reversum fuisse, sed e contrario postea ad rationes reddendas a Pompeio inde evocatum esse diserte apud scriptores legamus atque haud temere triumviri, sed armati armatisque cincti ad cenam venerint, meram hanc esse fabulam putant. At quid impedire potuit, quominus Menodorus de omnibus rebus ad Misenum gestis continuo certior factus propius accederet et hora cum Pompeio composita armatos in tempore opprimeret? Num exercitus Octaviani et Antonii coniuncti imperatores ultum ituri fuerint, certe dubium est. Probabilius est, eorum milites, qui nihil vehementius desiderabant.

[97]) De rebus ab iis in bello gestis videas Dornseiff. dissertationem p. 65 sq. 69 sqq. 85 sqq. 100 sqq. 117 sqq.

[98]) App. V 70 et 71.

quam ut laborum fructum caperent, aut tacitos id facinus passuros aut Sextum secuturos fuisse, si magna iis praemia obtulisset. Haud dubie nec Pompeius nec Menodorus quidquam periculi a militibus metuerunt. „Anecdote“, inquit Duruy[99]), „douteuse, comme beaucoup de celles que les anciens rapportent“. Merivale[100]), quem sequitur Risse p. 23, contendit, „eam esse fabulam hoc consilio compositam, ut periurus Menodori animus magno exemplo illustraretur.“ Verum Menodori perfidia e proditionibus perfugiisque satis superque elucet, ut eam novo exemplo eoque ficto confirmari non opus esse videatur. An quis est, qui Caesarianos scriptores hanc rem ementitos esse censeat ob nullam aliam causam nisi Sexti collaudandi gratia?

Duces electos ex optimatibus, qui tum quidem in promptu fuerint, rem felicius gesturos fuisse quam libertos Sexti audacius est contendere. Sed ne libertorum videar causam dicere eosque laudibus efferre neglectis eorum peccatis, dementia, quam Demochares ad Cumas ostendit, haud dubie vehementer vituperanda est.[101]) At nonne etiam Octavianus saepius per imprudentiam lapsus est? Menodori perfidia Sexto non minus obfuit quam Octaviano, uterque deceptus ab eo prudentior redditus est.

Cicero, qui, etsi favore erga Pompeium ductus ad laudes eius nimium efferendas pronior erat, tamen a vero plane recedere non debebat, Sextum maximum ornamentum rei publicae praedicat, conservandum esse eum rei publicae asseverat[102]) et, quod cum Antonio comparatus pudorem, gravitatem, moderationem, integritatem habeat, dignum esse ait, qui potestatem et fortunas patrias recuperet; populum Romanum libentius eum augurem Iovis sancturum esse quam Antonium.[103]) Praedicat eius pristinam virtutem, industriam, voluntatem, quod operam suam senatui populoque Romano pollicitus sit, et senatus consulto eum collaudandum esse censet. Pro certo igitur habemus, Sexto mores suaves modestamque naturam insitam fuisse; quod postea de recta ratione deflexit, non ei crimini dandum est, sed adversariis et temporibus, quibus omnino a religione et officio declinasse plurimos notum est.

[99]) Histoire des Romains II p. 564. Paris 1871.
[100]) Gesch. d. Röm. II p. 177.
[101]) cf. Dorns. p. 85 sqq.
[102]) Cic. Phil. V 14.
[103]) Phil. XIII 5.

Neque Cicero solus, sed alii quoque Sextum magni aestimabant, etsi non tanti, quanti Brutum et Cassium, nam illi pro salute rei publicae contra Caesarem regnum affectantem et contra triumviros non minus libertatis adversarios propugnaverunt. Pompeius tum apud populum gratia floruit et multi proscripti ad eum refugerunt. Proscriptionum tempore qui effugere manus impiorum hominum scelestorumque poterant, aut ad Cassium profecti sunt aut ad Brutum, aut in Africam ad Cornificium, qui pariter a partibus stabant rei publicae. Sed plerique in Siciliam se receperunt, ubi libentissime Pompeius profugos excipiens omnia beneficia in eos contulit. Neque a dignitate sua se discedere putavit, cum obviam iret venientibus atque dispertiret vestimenta victumque hominibus, quibus ex naufragio fortunae nil nisi vita supererat. Sic ille summis periculosissimisque rei publicae temporibus optime de patria meritus paternam laudem non minore propria cumulavit.[104]) Haud immerito igitur Appianus (IV 85) eum appellat „περιφίλητον ἅπασιν ἐν τῷ τότε“. Itaque „Sexti caput in nummis corona quercea ornatum videmus, qua ob cives a se servatos dignum se iudicavit.“[105]) Etiam post proelium Philippense bello Perusino orto a. XLI, qui sibi suisque rebus metuerunt aut bonis fuerant spoliati aut praesentem rerum statum omnino non probarunt, ad ipsum plerique accedebant. Quin etiam L. Munatii Planci, qui Antonio se adiunxerat, equites tum ad Sextum perfugerant.[106])

Omnia si consideramus et colligimus, quae nobis tradita sunt de Sexti Pompei ingenio, moribus, rebus gestis, facere non possumus, quin usque ad hunc diem de homine illo severius iudicium factum esse existimemus. Id quod Dornseiffen (p. 139) dicit, Sextum nulla bellica virtute et prudentia, nulla bellandi peritia et calliditate, nullo in hostibus adoriendis consilio, nulla victoriis utendi cura et sollertia fuisse, ipsumque ignavia sua et superbia, diffidentia et crudelitate potentiam suam evertisse, ut durius atque acerbius reiciendum est. Effecisse enim mihi videor, Sextum Pompeium, quamvis virtutis eximiae vir non fuerit, tamen non fuisse mente tam crudeli, tam suspiciosa, quam eum

[104]) App. IV 36. Dio XLVII 12 et XLVIII 19. Liv. 123. Vell. II 72 et 73. Zon. X 17 et 21. Oros. VI 18.
[105]) cf. Ekkel, doctrina nummorum veterum VI 26—33. Dorns. p. 150.
[106]) App. V 61.

demonstrare videantur res ab eo gestae, si nec temporum nec condicionum ratio habetur. Etsi in eo indoles imperatoriae virtutis inesse non potuit eiusque vires non suffecerunt ad difficultates muneris et pericula subeunda, tamen nunquam animum demisit, cum submergere eum „adversis rerum undis“ fortuna videretur, sed fortem se virum, „impetu strenuum, manu promptum, cogitatione celerem“, ut ait Velleius[107]), praebuit. Multa et gravia perpessus est cum imprudenti consilio parata sibi ipsi, tum adversis temporibus. Sexti sors acerba sine dubio deploranda misericordiam historiam eius legentis aeque concitat atque aequalium, apud quos interfector eius Titius tanto in odio fuit, ut exsecrationibus populi e spectaculo, quod ipse in theatro Pompei dedit, pelleretur.[108])

[107]) Vell. II 73.
[108]) Ibidem 79.

VITA.

Natus sum Aemilius Hitze a. d. VIII Calendas Februarias anno h. s. LVI in Lusatiae oppidulo, cui nomen est Triebel, patre Reinholdo, matre Aemilia e gente Schroether, quos atroci morte mihi ereptos esse vehementer doleo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium adii Saganense anno h. s. LXIX et duobus annis post Glogoviense. Inde cum maturitatis testimonio dimissus Vratislaviam me contuli historicis et geographicis et philologicis studiis operam navaturus. In civium academicorum numerum receptus anno h. s. LXXVI a v. cl. Martino Hertz, per tredecim semestria interfui scholis v. v. ill. Dilthey, Dove, Freymond, Galle, Groeber, Junkmann, Ludwich, Neumann, Niese, Partsch, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Weber, Weinhold. Per quinque semestria sodalis fui seminarii regii historici. Nec non magna cum mea utilitate exercitationibus historicis interfui, quas moderabatur vir clarissimus Benedictus Niese. Praeterea per unum annum militavi et per biennium praeceptoris munere functus sum paedagogii militaris in hac urbe instituti.

Praeceptoribus meis, imprimis vv. ill. B. Niese et J. Partsch, qui egregie de me sunt meriti et consilio operaque me adiuverunt, gratias ago quam possum maximas eorumque memoriam semper prosequar pio gratoque animo.

THESES.

I. Tribunis plebis maiorem potestatem adversus consules fuisse contendo.

II. Senecam „de tranq. an.“ XI 12: Ptolemaeum, Africae regem, Armeniae Mithridatem inter Caianas custodias vidimus: alter in exilium . . . non exilium, sed exitium scripsisse coicio.

III. Iniquissime iudicavit Hermannus Peter (vet. hist. Rom. rel. p. CLI) contendens, M. Porcium Catonem admirandorum studio pellectum vana pro veris vendidisse, quod in Sauracti et Fiscello capras feras e saxo pedes plus sexagenos saliisse narravit (fr. 52) et in Hispania citeriore montem ex sale mero magnum esse (fr. 93).

IV. Carolum Magnum natione habendum esse Germanum censeo.

V. Conradum II et Henricum III imperatores potestatem ducalem abolere voluisse nego.

CERVIMONTII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ‚BOTE AUS DEM RIESENGEBIRGE‘.